

§ 206.

DE REO.

Rei generatim omnes esse possunt etiam excommunicati, ne videantur ex propria malitia commodum reportare, quamvis in jus vocati per alium respondere queant, cap. 7 de Judiciis. Minores item sicut agere in causis spiritualibus, ita et conventi se defendere possunt. Mulieres autem in causis civilibus ad judicium compellendae non sunt ut se personaliter sistant, cap. 2 de Judic. in 6; si tamen malint, personaliter agere poterunt et respondere. Sed in causis criminalibus propter sexus verecundiam et fragilitatem vetantur agere, seu accusare, nisi suam vel suorum injuriam, prosequantur, aut publica utilitas id postulet, aut causa ejus generis sit ut corporalem praesentiam exigere videatur. Verum si atrocioris alicujus criminis reae sint, repugnantes etiam et invitae in judicium trahi possunt.

At enim actores et rei possunt aut per semetipsos, aut per procuratores judicium exercere. Procuratores autem aut in judicio pro aliis postulant, et Advocati dicuntur, aut negotia Clientis in judicio vel extra judicium administrant, et Procuratores appellantur. Quamobrem Advocatus et Procurator in eo differunt, quod prior in judicio postulat, seu clientis patrocinium suscipit, causam secundum jura legitime defendendo; Procurator autem negotia litis in utilitatem Domini tractat, fitque post litis contestationem Dominus ipsius litis ita ut deinceps tanquam Dominus citetur et judicetur. Pauca de utroque dicenda sunt.

§ 207.

DE ADVOCATO ET PROCURATORE.

Advocati munus est merita causae rite perpendere et pro-

§ CCVII. DE ADVOCATO ET PROCURATORE. 447

ponere; quapropter tribus dotibus praestare debet. Prima est juris peritia; non officium aliquod suspicentem oportet praeditum esse doctrina, quae ad ipsum rite obeundum postulatur. « Hinc apud Romanos, » ait Van-Espen Jur. Eccl. univ. part. 3 tit. 6, « nullus in Advocatorum matriculam recipiebatur, nisi de peritia juris a Professoribus Juris testimonium haberet. » L. 1 § 44 cod. de Advoc. divers. Judic. ; « Jurisperitos etiam eorum Doctores jubemus juratos sub gestorum testificatione depromere esse eum, qui posthac subrogari voluerit, peritia juris instructum. » Et L. 5, cod. cod. tit. statuitur : « Nec de caetero quemquam antequam per statuta tempora legum eruditioni noscatur inhaesisse, supradicto consortio Advocatorum sociari. » Altera est probitas, ut nimisrum absque dolo, tricis, ambagibus, falsis probationibus, inutilibus dilationibus aliisque malis artibus causam defendat, atque a convictis aliisque injuris prorsus abstineat. In primis vero debet causarum merita perpendere ut si qua improba sit, aut mendacibus allegationibus composita, aut penitus desperata, aut etiam improbabilis, ejusdem patrocinium non suscipiat. Denique contentus sit oportet honorario vel lege, vel consuetudine taxato, neque licet pacisci de quota litis, neque de palmario, seu de extraordinario aliquo honorario in eventum palmae seu victoriae persolvendo; tum quia ejus generis pacta censentur Advocatum alicere ad fraudes, dolos, aliave illicita media adhibenda ut victoriam consequatur, tum quia non levis suspicio de concussione subest, ne Cliens metu perdendae litis pactionem eam accipiat. Tertia dos est diligentia: siquidem Advocatus ratione stipendi quod percipit, ex justitia tenetur ad studium et diligentiam pro qualitate cause adhibendam, ut litem obtineat. Quapropter in delinquendi necessitatem sese conjiciunt qui plures causas suscipiunt, quam expedire recte valeant. Caeterum Advocatibus qui ob ignorantiam, malitiam, negligentiam, aliamve culpam propriam causa cecidit, vel impensas ultra modum prodegit,

graviter peccat, et tenetur rependere damna quibus Clientem affecit.

Quae de Advocatis dicta sunt, generatim ad Procuratores quoque pertinent. At vero Advocatus et Procurator constitui non possunt haeretici, excommunicati, infames, mulieres, potentiores qui adversarium opprimere valent, Monachi, et Canonici Regulares, nisi ex mandato sui Superioris, et causa Monasterii agatur, et demum Clerici omnes coram Judice laico et in negotiis saecularibus, nisi in causis aut propriis, aut misericordia personarum, aut Ecclesiae cui ratione officii vel beneficij addicti sunt. Minores annis viginti quinque, ex cap. 5, de Procurator. in 6, Procuratores esse vetantur. Sed querunt Interpretes, an ea aetate minor ab Advocati officio itidem repellatur: communior sententia affirmat aetatem septemdecim annorum sufficere, cujus discriminis ratio est, quod Advocati sit causae tantum patrocinari; Procurator autem fit dominus litis, et actione mandati obligatur.

Procuratores, de quibus alia peculiariter dicenda sunt, non solo consensu, sed mandato scriptis tradito constituendi sunt. Oportet autem, ut nomen constituentis, procuratoris constituti, causa, judex, dies et annus exprimantur. De mandato ipso ejusque forma tum altera pars litigans, tum Judex inquire possunt ac debent, ne magno litium labore agatur nihil: « nam falsi procuratoris exceptio non solum ante sententiam, verum etiam postea potest objici, utpote qua probata judicium nullum, et nullius momenti controversiae reputantur, » cap. 4 de Procurat. Constituitur autem Procurator vel ad certas causas, vel generatim ad omnes, unde specialis est, vel generalis: adhibetur etiam in causis omnibus tam saecularibus quam ecclesiasticis, itemque in criminalibus, ubi civiliter, hoc est ad poenam pecuniariam aut similem agatur. Generatim Procuratores ea omnia et sola jure agunt quae in litteris mandati continentur. » Qui ad agendum et defendendum, et generaliter ad omnia (etiamsi mandatum exigant spe-

ciale) constituitur procurator, ex vi generalitatis hujusmodi ad aliquem articulum, in quo speciale mandatum exigitur, admitti non debet. Sed si aliquis, vel aliqui de articulis speciale mandatum exigentibus specificati fuissent adjecta clausula generali, tunc ad non expressos etiam admittetur, » cap. 4 et 5 de Procurat. in 6. Quibus ex capitibus planum est, Procuratorem constitutum cum ea clausula, quod generaliter possit omnia, etiamsi speciale mandatum exigit, vi generalis hujusmodi clausulae experiri et agere potest, quae generaliter ad causam pertinent. At vero in iis quae speciali mandato digna sunt, ea generalis commissio non sufficit, sed requiritur specifica expressio saltem alicujus actus speciale mandatum requirentis, nam si unus, vel alter actus speciale mandatum postulans in mandato expressus fuerit, tunc Procurator vi clausulae generalis consequitur speciale potestatem ad alios etiam actus similes, vel minores, non autem maiores et graviores, ex. gr. habens mandatum transigendi cum clausula, quod omnia possit etiam mandatum speciale exigentia, poterit in arbitrum compromittere, quia compromissum est species transactionis, sed debitum remittere non poterit, quia remissio gratuita debiti actus est transactione major et gravior, Clement. II de Procurator. Casus autem, sive actus speciale mandatum requirentes generatim sunt, qui magis ardui habentur, aut certe domino praejudicium afferre possunt, veluti petitio restitutionis in integrum, juramentum decisivum adversae parti deferendum, compromissum in arbitros, transactio, remissio debiti, et alia id genus, quae recenset Glossa in cap. 4 de Procurator. in 6. Verum Procurator constitutus *cum libera*, ut aiunt, cui nempe bonorum vel cause libera administratio concessa est, in vim ejus clausulae juramentum deferre, transigere vel pacisci potest, cap. 4 eod. in 6. Hanc tamen distinctionem Procuratoris cum libera et sine libera otiosam esse et inanem putat Heinricus in Digesta ad tit. de Procurat. At certe hujusmodi Procurator do-

nare non poterit; hoc enim est potius perdere, quam administrare, L. 8 ff. de Pactis.

Procuratorem constituere possunt non solum personae singulares, quae per se ipsas in judicio agere possunt, contrahere, deque suis rebus libere uti et disponere, verum etiam integrae Communitates, vel Societates hominum communia jura et communes causas habentium, veluti Universitates et Collegia. Procurator autem ab aliqua Universitate constitutus Syndicus appellatur. Verum tamen Procuratorem inter et Syndicum multa discrimina sunt: 1. Quod Procurator omnino libere, Syndicus autem necessario constituatur. 2. Quod Procurator per solam nominationem seu mandatum domini, Syndicus vero per electionem et suffragia majora Universitatis vel Collegii. 3. Quod Syndici officium vulgo publicum habeatur, Procuratoris autem saltem vi juris communis privatum est. 4. Demum quod Syndici officium nec morte constituentium exspiret quia Communitas nunquam moritur, nec finita instantia ccesset, quod generaliter ad omnes lites, adeoque ad appellationem quoque constitutus sit, at officium Procuratoris exspirat morte mandantis, si res adhuc integra sit: hoc est lite nondum contestata, et sententia in eum lata appellare potest ac debet, licet appellationem prosequi in vim prioris mandati non teneatur, cap. 14 hoc tit. In reliquis autem Procurator et Syndicus sunt munere pares; nam potestas utriusque mandato Constituentis, sive decreto Universitatis praefinitur, et uterque servatis finibus ejusdem mandati vel decreti Constituenti prodest, aut nocet; sibi enim imputare debent qui negligentem Procuratorem constituerunt. Finitur etiam ipsorum potestas, si diem extremum clauerint, quia mandatum ad haeredes non transit; itemque si mandatum a Constituente revocetur, et nulla quidem ante litis contestationem opus est causa, ut mandatum solvatur, sed post contestationem oportet rationabilem causam intercedere, qualis esset adversa Procuratoris vel Syndici valetudo, diuturna pe-

regrinatio, morosa causae tractatio, superveniens cum adversario affinitas, aliave ejus generis: interest enim Procuratoris qui rem inchoavit, ne temere officio suo removeatur; quam obrem revocatio mandati eidem denuntianda est, et nisi consenserit, causa revocationis a Judice cognoscenda. « Verum quanquam, nisi ut praemittitur, sine causa revocari non possit, dominus tamen suae causae una cum eodem Procuratore, maxime si de collusione timeat, minime prohibetur adesse, » cap. 2 de Procurator. in 6. Ut autem mandanti integrum est ex rationabili causa mandatum revocare, ita Procurator officio suo nuntium mittere potest, dummodo renuntiatio tempestive fiat, hoc est sine damno mandantis, aut saltem morbus vel alia justa causa intercesserit.

At vero Dominus et Procurator actionem mandati habent, si alter ab altero laesus fuit; et dominus quidem directam actionem habet ad prosecundum id quod sua interest litem non fuisse diligenter administratam; Procurator autem contraria habet repetendi quidquid ob litem fecerit sumptuum, aut sibi debeatur ratione mandati quod impleverit, et utraque actio transit ad haeredes.

§ 208.

DE FORO COMPETENTI.

Forum seu Judex competens dicitur, qui tam ratione rei, quam ratione personae potestatem habet judicandi, secus enim sententia ipsius, imo totum judicium ob defectum jurisdictionis vel in genus causae, vel in reum conventum omni vi et effectu carebit. Igitur ad cognoscendum competentem Judicem inspici debet: 1. qualitas causae quae in controversiam adducitur; 2. qualitas personae quae in jus vocatur.

Quod ad primum attinet, compertum est ex iis quae in Jure publico Ecclesiastico diximus, causas omnes ecclesiasticas ad

Tribunal Ecclesiae pertinere. Sed ecclesiasticae causae ratione rei partiuntur in **majores et communes**. Causae **majores** a Glossatore Decretalium ad cap. **QUOD TRANSLATIONEM** de Offic. legat. duodeviginti enumerantur **secundum** quatuor barbaros versus, quos Glossatores et veteres Juris Canonici Tractatores suis Commentariis inseruerunt. Generatim autem causarum majorum nomine non tantum dubiae fidei et disciplinae causae, sed universim causae omnes et negotio, quae gravioris momenti sunt, intelliguntur. Earum **autem** definitio ad unum Romanum Pontificem pertinet, quod Innocentius I in Epistola ad Victricium Rothomagensem **disertie** ait : « Majores causae ad Sedem Apostolicam, sicut **Synodus** statuit, et vetus consuetudo exigit, referantur. » Justinus Febronius in libro de Statu Ecclesiae cap. 4 § 1 in hunc locum ita animadvertisit : « Verba illa vetus consuetudo apud **probioris** notae Scriptores, signanter Labbaeum et Justellum non reperiuntur. » At reperiuntur apud alios probatissimae notae Scriptores, et quamvis ea verba in Epistola Innocentii I omnino deessent, non tamen desunt alia indubia documenta, quibus ea vetus consuetudo comprobatur. Verum de hoc argumento in eodem **Jure publico Ecclesiastico** dictum est.

Praeter majores causas reliquae **omnes Ecclesiasticae** in prima instantia coram proprio Ordinario agendae sunt. At causae matrimoniales Episcopi tantum judicio a Synodo Tridentina sess. 24 cap. 20 de Reform. commissae fuerunt Praelatis inferioribus exclusis. Qua de re observanda est etiam Constitutio Benedicti XIV **DEI MISERATIONE** 23 tom. 1 ejus Bullar., ubi accurate lateque praescribit et explicat ordinem judicii, quo oportet hujusmodi causas cognoscere et judicare. Pariter ex Concilii Tridentini sanctione in sess. 25 cap. 19 de Regularibus cautum est, ut Regularis validitatem suaे professionis oppugnaturus debeat sua jura proponere coram Superiore suo, et Ordinario, ut proinde in hujusmodi quaestionibus per Superiorem Regularem et Ordinarium, tanquam

Conjudices, causa cognoscenda et definienda sit. Atque etiam idem Pontifex Benedictus XIV in alia Constit. **SI DATAM** 47 tom. II ejus Bull. complexus est ea omnia quae ad agendum causam de nullitate professionis observanda sunt.

Ex hactenus dictis satis colligitur, quis competens **Judex** habendus sit inspecta natura causae; nunc videndum est, quis **Judex** competens sit in pecto statu personae quae in jus vocatur. In primis autem praemittendum est, quod tradit Bellarminus de Concil. auctoritat. lib. 2 cap. 17 et 18 : « Summus Pontifex non potest committere neque Concilio, neque ulli homini supra se judicium coactivum, sed tantum discretivum. » Hanc sententiam Sylvius Controvers. lib. 4 art. 6 conclus. 3 ita explicat : « Papa potest quibusdam in rebus se, seu causam suam alteri subjicere, ut potestatis aeculari in rebus temporalibus, et in spiritualibus Sacerdoti in foro conscientiae; quia si contingat Pontificem habere controversiam, nec ipse velit eam per se terminare, aequum videtur, ut ejus decisionem possit alteri committere. Casu tamen, quo ita se, seu verius causam et controversiam suam de rebus temporalibus alicui committat, ipse semper manet Superior, neque potest simpliciter cogi, quia potestas ordinaria (talem vero habet Pontifex) major est extraordinaria et delegata, cuiusmodi solum est ea quam habet is cui Pontifex temporalem causam subjicit. Nihilominus isto casu posito, si Pontifex commissionem, quam fecit, non revocet, debet acceptare justam sententiam a sic deputato prolatam, etsi non necessitate coactionis, sed virtutis justitiae commutativae; alioquin peccaturus contra illam respectu partis adversae, imo et respectu Commissarii, si promiserat stare ejus sententiae. » An vero in causis Ecclesiasticis, ex. gr. in eventu dubiae electionis aut haeresis Summus Pontifex judicio Ecclesiae subsit, quoniam haec res ad Jus publicum Ecclesiasticum pertinet, praeter ea quae in ejusdem Juris Institutionibus dicta sunt, confer **Sylvium ipsum** in 22 S. Thomae quaest. 39 art. 1,

et praecipue Petrum Balleriniū de Potestat. Eccles., et Summ. Pontific., et Concil. general. toto cap. 9.

Post summum Pontificem de Cardinalibus S. R. E. dicendum est. Jam vero ex Constitut. Pauli IV *CUM SAEPIUS* edita an. 1556, lites Cardinalium ad Pontificem ipsum avocatae sunt, omni appellatione remota. Item causae Patriarcharum, Primate et Metropolitanarum Sedi Apostolicae reservantur, quoniam hujusmodi personae nemini in Ecclesiastica hierarchia extra Romanum Pontificem subjectae sunt. Hac de re exstat celeberrimus can. 9 Concilii Chalcedonensis, quo ita constitutum est : « Si quis contra ipsius Provinciae Metropolitanum Episcopum sive Clericus habeat controversiam, pergit ad ipsius Dioecesis Primatem, aut certe ad Constantinopolitanae Regiae Civitatis Sedem, ut eorum ibi negotium terminetur. » De quo Canone Ludovicus Bail in Summa Conciliorum animadvertisit : 1. Ubi dicitur « *pergant ad ipsius Dioecesis Primatem* » Romanum Pontificem intelligi ; nam vox graeci textus non proprie Primatem, sed Principem significat ; solus autem Pontifex Christianae Dioecesec³ Princeps est. 2. Ubi dicitur « *aut certe ad Constantinopolitanae Civitatis Sedem* » non mandantis, sed permittentis Concilii verba esse, ita ut Clericis vel Episcopis prope Constantinopolim decentibus permisum fuerit controversias suas coram Antistite Constantinopolitano proponere. Ita hunc Canonem Nicolaus I in Ep. ad Michaelem Imperatorem interpretatur. 3. Ex vi hujus Canonis eos tantum a Sede Constantinopolitana judicari potuisse, qui se a suo Metropolitanano laesos esse arbitrabantur : at Romanum Pontificem eos quoque judicare posse, qui ab ipsis Patriarchis vel ab Episcoporum Conciliis etiam maximis et frequentatissimis laesi sunt ; quod Caeciliani, Athanasii, Chrysostomi, Pauli, Flaviani, Theodoreti, aliorumque plurium exempla demonstrant. Vide Bellarminum lib. 2 de Rom. Pontifice cap. 22.

Quod vero Episcopos spectat, ipsorum causae ex jure com-

muni aut ad Synodum Provincialem, aut ad Metropolitanum deferebantur. At Concilium Tridentinum causas ipsorum criminales, quae depositione aut privatione dignae sunt, ab uno Romano Pontifice cognosci et finiri voluit : leviores autem causas Synodo Provinciali judicandas reliquit. Cum autem eadem Synodus de causis civilibus Episcoporum nihil penitus constituerit, satis intelligitur easdem veterum Judicium cognitioni relictas esse, tum quia exceptio causarum criminalium firmat regulam in contrarium, tum quia putandum non est jurisdictionem Archiepiscoporum hac in re a Concilio revocatam fuisse, nullis aliis assignatis Judicibus, apud quos eadem causae in posterum agerentur. Hanc sententiam amplexata est Congregatio Concilii ; nam in Opere quod inscribitur : **NOVAE DECLARATIONES CONGREGATIONIS S. R. E. C. AD DECRETA CONCILII TRIDENTINI EX BIBLIOT. CARD. ROBERTI BELLARMINI, LUGDUNI 1634**, ad cap. 5 sess. 24 de Reform. haec numero tertia ejusdem Congregationis declaratio profertur : « Item Metropolitanus potest cognoscere causas civiles Episcoporum. » Pariter in Opere quod inscribitur : **CONCILIUM TRIDENTINUM EX ULTIMA RECOGNITIONE JOANNIS GALLEMART, LUGDUNI 1634**, ad notam « *nisi Metropolitanis* » in idem caput haec leguntur : « potest Metropolitanus cognoscere causas civiles Episcoporum ex sententia Congregationis. » Neque huic sententiae obstat Epistola quaedam Congregationis Episcoporum et Regularium ad Archiepiscopum Regiensem datam die 31 Maii 1588, quemadmodum late probat Cardinalis Petra in Commentar. ad Constitutionem 2 Leonis X.

Praesentis instituti est de foro Regularium aliorumque exemptorum aliquid in medium proferre. Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 5 de Reform. decrevit causas criminales et mistas ad locorum Ordinarios, et non ad Conservatores pertinere : civiles vero a Conservatoribus cognosci posse, cum hi quorum privilegia tuerintur, rei sunt, non actores. Itaque S. Congregationi Concilii die 28 Julii 1657 propositum est

dubium : « An Regulares habentes Conservatorem, si rei sint in causis civilibus requirentibus judiciale discussionem et indaginem, conveniri queant coram eodem Conservatore? » S. Congregatio respondit negative. Et in Januen. jurisdictionis die 20 Februarii 1723 proposito dubio : « An Conservator Ven. Collegii Patrum Soc. Jesu Civitatis Januae tam in casibus, quam extra casibus manifestae violentiae, vel injuriae possit procedere, sive Patres Soc. Jesu sint actores, sive rei? » S. Congregatio respondit « affirmative in casibus tamen manifestae violentiae et injuriae, et quando Patres sunt rei. » In casibus vero criminalibus Regulares notorie et cum scandalo extra claustra delinquentes juxta Constitutionem Clementis VIII die 8 Martii 1596 editam, itemque delinquentes in personam Episcopi, ejusque jurisdictionem impedites juxta decretum S. Congregationis Concilii a Gregorio XIII probatum, de quo Fagnanus in cap. GRAVE de Offic. Ordinar. n. 76, verba facit, ab Episcopo puniri possunt. Sunt etiam alii casus, in quibus integrum est Episcopo delegatam auctoritatem in Regulares exercere ad eos in officio continendos, et irrepentes abusus cohibendos, quam multis prosecutur Benedictus XIV de Synod. Dioeces. lib. 9 cap. 15.

Exemplo Regularium Clerici quoque studuerunt sese aut Ecclesias aliquot ab Ordinariorum jurisdictione eximere. De his tria adnotasse sufficiat : 1. Uni Pontifici, et praeterea nemini fas esse personas aut Ecclesias ab Ordinarii Judicis potestate eximere. 2. Clericos exemptos in exemptionis articulis forum Apostolicae Sedis sortiri, aut illius Judicis forum, cui ex privilegio Apostolico addicti sunt. 3. Cum Episcopus fundatam intentionem habeat potestatis exercenda in cunctas Ecclesias Clericosque suae Dioecesis, hinc neminem jure posse ipsius forum declinare, nisi aut perspicuum suae exemptionis privilegium ostendat, aut longevam hujus exemptionis praescriptionem legitime planeque probaverit, ex qua Apostolicum privilegium praesumi valeat. De Capi-

tulis autem ab Episcopali jurisdictione exemptis confer saepe laudatum Benedictum XIV de Synod. Dioeces. lib. 3 cap. 9.

Hactenus dictum est de personis, quae speciali titulo dignitatis aut privilegii proprium forum habent, ad quod vocandae sunt. Relinquitur ut dicamus de reliquis Ecclesiasticis personis, quae scilicet nullo speciali exemptionis titulo aut privilegio distinguuntur. Jam vero Clerici omnes non solum majoribus sed minoribus etiam Ordinibus, imo prima solum Tonsura initiati in causis tum civilibus, tum criminalibus ab uno proprio Ordinarii foro judicari possunt. Atque huic fori privilegio Clerici renuntiare nequeunt, neque etiam in se prorogare potestatem Judicis laici, cap. 12 de Foro compet., imo nec jurisdictionem Episcopi alieni, nisi proprius consenserit, cap. 18 eod. tit. Episcopus autem seu Ordinarius proprius dicitur : 1. Episcopus *domicili*, vel *quasi domicili*, seu ejus loci in quo Clericus moratur cum animo vel perpetuo vel diutius ibidem permanendi. 2. Episcopus *contractus*, sive ejus loci ubi contractus vel quasi contractus initus est; dummodo reus ibidem reperiatur, aut bona possideat, quamvis ipse reus fuerit absens; nam cap. 4 de Foro compet. in 6 expresse statuit actorem ex Judicis decreto mittendum esse in bonorum possessionem, si reus citatus in foro contractus non comparat. 3. Episcopus *rei sitae*, seu loci ubi res controversa sive mobilis, sive immobilia permanenter sita est, qui itidem contra rem etiam transeuntem arrestum et sequestrationem decernere poterit. 4. Demum Episcopus *loci*, ubi delictum inchoatum vel consummatum est. Caeterum forum domicili praecipuum est, ita ut Judex domicili contra reliquos competentes Judices jure praeventonis uti possit. Sunt tamen aliqui casus, in quibus Clerici beneficio fori privantur. Et primo quidem ex decreto Concilii Tridentini sess. 23 cap. 6 de Reform., Clerici minorum Ordinum « fori privilegio non gaudent, nisi Beneficium ecclesiasticum habeant, aut clericalem habitum et tonsuram deferentes alicui Ecclesiae ex